

Da: Cicerone, *Brutus*

Cicerone in conversazione con Bruto e Attico sull'importanza dell'eloquenza

“Praeclare, inquam, Brute, dicis¹ eoque magis ista dicendi laude delector quod cetera, quae sunt quondam habita in civitate pulcherrima, nemo est tam humilis qui se non aut posse adipisci aut adeptum putet; eloquentem neminem video factum esse victoria. Sed quo facilius sermo explicetur, sedentes, si videtur, agamus”. Cum idem placuisset illis, tum in pratulo propter Platonis statuam consedimus. Hic ego: “Laudare igitur eloquentiam et quanta vis sit eius expromere quantamque eis, qui sint eam consecuti, dignitatem adferat, neque propositum nobis est hoc loco neque necessarium. Hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, sive illa arte pariatur aliqua sive exercitatione quadam sive natura, rem unam esse omnium difficillimam. Quibus enim ex quinque rebus constare dicitur², earum una quaeque est ars ipsa magna per sese. Quare quinque artium concursus maximarum quantam vim quantamque difficultatem habeat existimari potest. Testis est Graecia, quae cum eloquentiae studio sit incensa iamdiuque excellat in ea praestetque ceteris, tamen omnis artis vetustiores habet et multo ante non inventas solum sed etiam perfectas, quam haec est elaborata dicendi vis atque copia. In quam cum intueor, maxime mihi occurrunt, Attice, et quasi lucent Athenae tuae, qua in urbe primum se orator extulit primumque etiam monumentis et litteris oratio est coepta mandari”.

¹ Bruto ha concluso il suo discorso dicendo che parla bene solo chi ragiona con saggezza e che, dunque, chi si dedica alla vera eloquenza si dedica alla sapienza, di cui nessuno può fare a meno neppure nelle guerre più importanti.

² Esse sono: *inventio, dispositio, elocutio, memoria, actio*.